

prietates præ alio melius callere sibi videtur.

*Quando Medicum oporteat procedere in ejusmodi casibus?*

II. In ejusmodi Casibus Medicum oportet cautum & studiosum se præbere, ne hinc conscientiam suam, & famam, inde Ægri valetudinem aut vitam ipsam prostituat, vel periculo summo exponat. Itaque primò attendendum venit, *An symptoma incidunt cum, aut sine malignitate existat? An externam ab Ægro admissam causam agnoscat? Vel tantum à motu Thermalium Aquarium in corpore oriatur?* Si quidem multoties accedit, Materiam peccantem in Ægro eam dispositionem qualitatis & quantitatis obtinere, ut non tam facile ad excretionem promoveri queat, ideoque per Orgasmum sanguinis huc illuc propellatur, & modo hoc, modo aliud symptoma molestum producat. Quapropter ea methodus amplectenda, ut quodlibet Symptoma pro exigentia circumstantiarum peritè tractetur.

*Propter symptoma in cidentia non statim cum curam esse abrum pendam?*

III. Non quodlibet Symptoma potationi superveniens tam periculosum est, ac subinde videtur, neque ideo confessim Æger ex Thermis ablegandus venit, quoniam inter usum illarum Natura varios motus criticos obit, quos si prudenter adjuveris, Ægro salutem, si turbaveris vel oppresseris, perniciem ipsi creabunt. Quemadmodum hujus rei veritatem non pauci suo damno sunt experti, alii cum valetudinis majore detimento, alii etiam cum vita ipsius dispendio, ut exemplis an-

nua-